Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift



lia quingenti. Juxta eum castra metati sunt de tribu symeon quorum princeps fuit salamihel filius suri saddai. Cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt. LVIII. milia. CCC. In tribu gad princeps fuit elyasaph filius duhel et cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt. XLV. milia. septingenti. L. Omnes qui in castris recensiti sunt ruben. CL. milia. et mille. CCCC. LI. per turmas suas in secundo loco proficiscentur. Leuabitur autem tabernaculum testimonii per officia leuitarum et turmas eorum. Quomodo erigentur ita et deponetur. Singuli per loca et ordines suos proficiscentur. Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum effraim quorum princeps fuit elisama filius ammiud. Cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt. XL. milia. quingenti. et cum eis tribus filiorum manasse cuius princeps fuit gamaliel filius fadasur. Cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt. XXXII. milia. CC. In tribu filiorum beniamin princeps fuit abidam filius gideonis et cunctus exercitus pugnatorum eius qui recensiti sunt. XXXV. milia. CCCC. Omnes qui numerati sunt in castris effraim. CVIII. milia. per turmas suas tertio proficiscentur. Ad aquilonem castra metati sunt filii dan quorum princeps fuit ahiezer filius ammisaddai. Cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt. LX. II. milia. septingenti. Juxta eum fixerunt tentoria de tribu aser quorum princeps fuit phegiel filius ocran. Cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt XLI. milia. et mille quingenti. De tribu filiorum neptalim princeps fuit ahyra filius enan. Cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt. LIII. milia. CCCC. Omnis exercitus pugnatorum qui numerati sunt in castris dan. fuerunt. CLVII. milia. septingenti. et nouissimi proficiscentur. Hic numerus filiorum israel per domos cognationum suarum. et turmas diuisi exercitus sexcentaria milia quingenti. L. Leuite autem non sunt numerati inter filios israel sic enim preceperat dominus moysi. fecerunt que filii israel iuxta omnia quæ mandauerat dominus. Castra metati sunt per turmas suas et profecti per familias ac domos patrum suorum.

III

Hæc sunt generationes aaron et moysi in die qua locutus est dominus ad moysen in monte synai. et hæc nomina filiorum aaron. Primogenitus eius nadab. deinde abiud et eleazar et ythamar. Hæc nomina filiorum aaron sacerdotum qui uncti sunt et quorum repleta et consecrata sunt manus ut sacerdocio fungerentur. Mortuus nadab et abiud cum offerrent ignem alienum in conspectu domini in deserto synai absque liberis. Functique sunt sacerdocio eleazar et ythamar coram aaron patre suo. Locutusque est dominus ad moysen dicens. Applica tribum leui et fac stare in conspectu aaron sacerdotis ut ministrent ei et exercebunt et obseruent quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii et custodiant cuncta tabernaculi seruientes in ministerio eius. Dabisque dono leuitas aaron et filiis eius quibus traditi sunt a filiis israel. Aaron autem et filios eius constitues super cultum sacerdocii. Extraneus qui ad ministrandum accesserit morietur.